



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum liberalitas sit pars iustitiæ? 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

Ad tertium dicendum, quòd dare & accipere se habent, sicut agere & pati. Non est autem idem principium agendi & patiendi. Vnde quia liberalitas est principium dationis, non pertinet ad liberalem, vt sic promptus ad recipiendum, & multo minus ad petendum. Vnde versus,

*Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,  
Det, capiat, quarat, plurima, pauca, nihil.*

Ordinat autem ad dandum aliqua secundum conuenientiam liberalitatis, scilicet fructus propriarum possessionum, quos sollicitè procurat, vt eis liberaliter vtatur.

594

Sup. q. 58

ar. 12. ad

1. &amp; q.

117. a. 2.

ad 3. &amp;

a. 3. ad 2.

Et inf. q.

157. a. 1.

cor. et 3.

d. 27. q. 2.

a. 4. q. 2.

cor. Et

ma q. 13.

a. 1. cor.

fn.

\* q. 58. a.

9. et 1. 2.

q. 60. a. 1.

2. &amp; 3.

† a. prac.

ad 2.

\* q. 30. &amp;

31.

Amb. li.

1. de Off.

c. 28. in

prin. to. 1

Ad quartum dicendum, quòd ad expendendum in seipsum natura inclinatur. Vnde hoc quòd pecuniam quis perfundat in alios, pertinet proprie ad virtutem.

## ARTIC. V.

*Vtrum liberalitas sit pars iustitia?*

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quòd liberalitas non sit pars iustitiæ. Iustitia enim respicit debitum. Sed quanto est aliquid magis debitum, tanto minus liberaliter datur. Ergo liberalitas non est pars iustitiæ, sed ei repugnat.

¶ 2. Præterea, iustitia est circa operationes, vt supra habitum est \*. Sed liberalitas est præcipue circa amorem, & concupiscentiam pecuniarum, quæ sunt passiones. Ergo magis videtur liberalitas ad temperantiam pertinere, quàm ad iusticiam.

¶ 3. Præterea, ad liberalitatem pertinet præcipue conuenienter dare, vt dictum est †. Sed conuenienter dare pertinet ad beneficentiam & misericordiam, quæ pertinent ad charitatem, vt supra dictum est \*. Ergo liberalitas magis est pars charitatis, quàm iustitiæ.

**S**ED contra est, quod Ambrosius † dicit in 1. de officijs, iustitia ad societatem generis humani refertur. Societatis enim ratio diuiditur in duas partes, iusticiam scilicet, & beneficentiam, quam eandem libe-



liberalitatem, aut benignitatem vocant. Ergo liberalitas ad iustitiam pertinet.

RESPONDEO dicendum, quòd liberalitas non est species iustitiæ: quia iustitia exhibet alteri quod est eius, sed liberalitas exhibet id quod suum est. Habet tamen quandam convenientiam cum iustitia in duobus. Primò quidem, quia principaliter est ad alterum, sicut & iustitia. Secundò, quia est circa res exteriores, sicut & iustitia, licet secundum aliam rationem, ut dictum est \*. Et ideò liberalitas à quibusdam ponitur pars iustitiæ, sicut virtus annexa ei ut principali.

Ad primum ergo dicendum, quòd liberalitas, etsi non attendat debitum legale quod attendit iustitia, attendit tamen debitum quoddam morale, quod attenditur ex quadam ipsius decencia, non ex hoc quòd sit alteri obligatus: unde minimum habet de ratione debiti.

Ad secundum dicendum, quòd temperantia est circa concupiscentias corporalium delectationum. Concupiscentia autem pecuniæ & delectatio, non est corporalis, sed magis animalis: unde liberalitas non pertinet propriè ad temperantiam.

Ad tertium dicendum, quòd datio beneficentiæ & misericordiæ procedit ex eo quod homo est aliquantè affectus circa eum, cui dat. Et ideò talis datio pertinet ad charitatem siue ad amicitiam. Sed datio liberalitatis provenit ex eo, quòd dans est aliquantè affectus circa pecuniam, dum eam non concupiscit, neque amat: unde etiam non solum amicis, sed etiam ignotis dat quando oportet. Unde non pertinet ad charitatem, sed magis ad iustitiam, quæ est circa res exteriores.

ARTIC. VI.

*Utrum liberalitas sit maxima virtutum?*

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quòd liberalitas sit maxima virtutum. Omnis enim virtus hominis est quædam similitudo diuinæ bonitatis. Sed per liberalitatem homo maximè assimilatur Deo, qui dat omnibus

§ 4 nibus

\* Hic in  
cor. 6. a.  
2. huius  
q. ad 3.

595